


HOMERI

ILIADOS

PICTVRAE ANTIQVAE

EX CODICE MEDIOLANENSI

BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

ROMAE

MDCCCXXXV

DE HOMERI

CODICE PICTO MEDIOLANENSI.

Graeca iliadis, et latina aeneidis, fragmenta antiquissima cum picturis, duo retinent codices, inter se mire similes, mediolanensis atque romanus: quorum priorem anno MDCCCXIX. primus ego Mediolani edidi; alterum multo ante Romae vulgaverant Sanctes Bartolus atque Bottarius. Et ipsa quidem carminis fragmenta laude non carent, tum ob varias lectiones, tum ob venustissimam palaeographiam: sed tamen paulo maiore ab eruditis pretio aestimantur picturae, quae utriusque poëmatis insigniora facta demonstrant: nullus est enim, praeter hos duos, liber antiquus et classicus, qui pari ornamento praeditus sit, vel qui tantam priscae artis imaginem curiosis suppeditet. Quae quum ita se habeant, non inepte ut puto constitui, utrumque iliadis aeneidisque monumentum uno volumine comprehendere; ita tamen ut carminis splendidissime enimvero scripti, sed tamen minus optabilis, quia in tot editionibus obvium est, nonnisi specimina daturus sim, picturas autem fideli prae omnibus imitatione cunctas exhibiturus. Sed de Virgilii quidem codice, separato postea tractatu dicam; nunc Homeri codicem quantum satis est describam; quem quum prolixiore olim commentario illustraverim, nunc verba ad compendium conferens, ipse mei breviator fiam, ne legentium tempore diutius abutar.

Est in bibliotheca ambrosiana mediolanensi liber quadratus membraneus, foliis paulo minus sexaginta constans, quorum uniuscuiusque pars antica coloratam picturam exhibet, iliacum aliquod facinus repraesentantem; postica vero bombycinis chartis glutine applicitis obtegebatur, quae aliquot rhapsodiarum argumenta, plerumque tamen scholia homerica graeca continent. Has ego chartas quum e membranis posticis avulsissem, homericum carmen pulcherrimis formis scriptum sub his contectum cognovi; valde tamen mutilum, quia nescio quis codicis sector eas tantummodo iliadis partes conservandas putavit, quibus historicae tabellae erant appictae; quas iis utcumque, quae dixi, scholiis illustrare praesumpsit; quamquam ea reapse poëma potius quam picturas declarant. Neque idcirco tabellas omnes antiqui codicis nos tenere arbitremur; etenim integer iliadis codex multo plures habuit: nam quae supersunt picturae, in vicinis saepe continuisque argumentis versantur; deinde magna intervalla sequuntur, et quidem locorum poëmatis celebriorum, qui picturis idoneis carere non poterant: librorum denique III. XVIII. XIX. et XX. nullae tabellae remanent, quia triste codicis fatum easdem cum scripto carmine pessum dedit. Quantam denique codicis partem amiserimus, vel inde patet, quod versus nonnisi octingenti circiter restant, quem numerum vel unus aliquando iliadis liber exaequat. Non est tamen institutum huius editionis, quam ad nobilium potius artificum usum ap-

tavi, ut de textus homerici natura disseram, quem adeo praetermisi; uno excepto specimine, quo graeci idiomatis litterae omnes continentur; quas qui oculis eruditis aspicient, ii de summa codicis antiquitate, homericos omnes, quotquot sunt cogniti, longe superantis, non dubitabunt. Sed iam picturarum descriptionem, cuiusmodi fere in mediolanensi editione eam concinnavi, subtexere non morabor.

Homericae picturae, quarum potissimum causa haec editio suscepta est, hoc habent maxime proprium, ut non tam artis ac penicilli elegantiam quam antiquitatis faciem verumque morem prae se ferant. Sane ego si has tabellas subtiliter dicerem minio tinctas, si corpora venuste deformata, si conflictus rerum accurate servatos, si cetera eiusmodi ad artis absolutionem exacta, utique id vana praedicatione affirmarem. Neque enim, cum hic codex iliadis colorabatur, ea iam tempora fuisse videntur, quae incolumem picturae potentiam consummationemque tenerent: quamquam arti labenti adhuc dignitas erat. Pingendi autem codicis rationem eiusmodi fere fuisse cognovimus: ductis pallidiore atramento lineis graphis describebatur: his penicillo adlinebantur colores, minium videlicet, cerussa, rubrica, armenium, purpurissum, appianum, tincturae hyacinthinae, violaceae, hyalinae, croceae, furvae: hi enim fere colores sunt inducti membranis (1): minii vero ubique ad splendorem abusio est, eoque maxime claritates imaginum excitantur. Figurae in proeliis dextra quidem tabularum parte saepenumero pinguntur rectae, sinistra autem aversae. Sunt etiam obliquae, quae dicuntur catagrapha. Alicubi lineamenta visum effugiunt, vel quia colores exciderunt, vel quia situ computruerunt, vel quia pictor interdum figuras initiare tantummodo ausus est: quare etiam parerga rarius consummavit, ita ut vix artificis cogitationes spectentur. Illud quoque accedit incommodum, quod aperta indicia interpolationum aliquando se produnt, armorum membrorum et vestium iteratis permutatisve bis terque coloribus. Ad commendationem artificii quod adtinet, est umbra, est lumen, sunt aliquae commissurae colorum et transitus; est quaedam etiam symmetria et mensura, quod rarum in successu artis antiquae invenitur, et in ambrosianis etiam picturis (fatendum est enim) persaepe desideratur. Deprehenditur auctor in Diis principibusque viris grandior; in universitate cadaverum, beluarum, et aedificiorum exilior: denique in extantibus et in confractis minima eiusdem laus est. Iam tabulae quae proeliorum pictam faciem habent, omnem quidem imaginum varietatem absumpserunt; verum eaedem assiduitate et numero prope satiant atque in coloribus duriores sunt. Quid quod interdum homericae narrationi haud pressim pictor adhaeret (2)? Quid quod sibi ipsi aliquando non constat? picto enim, exempli causa, heroë barbato, mox in alia tabella eumdem imberbem facit: quo inconstantiae genere vestimenta quoque et colores nonnumquam laborant. Sed enim narranti mihi ambrosianarum picturarum vitia, reique veritatem aperte docenti, subit animum id quoque monere, cavendum esse scilicet ne aliorum codicum quasdam picturas, quas iamdiu caelatura excellenter illustravit, idcirco

(1) Confer Pollucem *Onomast.* VII. 28.

(2) Arati quoque poema a pictoribus arbitrariis fuisse corruptum narrat Hipparchus in Arati vita.

his ambrosianis meliores putemus, quia in suis quaeque editionibus magnopere nitent. Artificum quippe hodiernorum, non veterum, ea manus est; qua super re in virgilianis deinde picturis locuturus sum. Nunc singularum picturarum ἦθη, ob quae potissimum dignatio illis accedit, et pictor laudem meretur, exponenda sunt. Id ego caput si diligenter demonstravero, nempe quod mores et habitus antiquitatis in his tabellis accurate pingnntur; tum earum aetas satis credibili argumento patefiet, tum etiam utilitas et eruditio arti constabit. Deorum quidem figurae et habitus docte exhibentur ab Arnobio lib. VI. ed. Lugd. Bat. p. 197. et 209. Item Cicero de leg. II. 28. artificum spectandis operibus assuetus ait: *et formae Deorum nobis et aetates et vestitus ornatusque noti sunt.* Ergo abs Iove principium.

Iupiter plerumque sedet corona redimitus, corpore ingenti, superiore parte prope nudus, inferiore velatus, sceptrum praeferens; quali eum forma pingi fingive solitum docet apud Eusebium (1) Porphyrius, Pausanias (2) atque Suidas (3). Tertius autem a me editus vaticanus mythographus in fabula Iovis ait: *unde etiam triumphantes, qui Iovis habent insignia, sceptrum gerunt et palmatam.* Id vero passim monumenta confirmant. Ad vestes Deorum quod adtinet, nonnulla percommode Martianus Capella in libris de Philologiae nuptiis docet, cuius operis antiquum ego commentarium in membraneo codice ante annos septingentos scripto non sine fructu legi: tertius demum accedit mythographus a me editus vaticanus: atque his ego scriptis ad declarandas Homeri picturas libentius identidem utar, propterea quod ab aliis partim paulo rarius partim numquam adhibita sunt. Corona Iovis ambrosiani videtur quodammodo flammea, exceptis duabus tabellis in quibus ea pessime interpolata est. Ait autem Martianus (4): *Iupiter apponit vertici regalis serti flammantem coronam.* Apte autem coronatur Iupiter propter eius aeternitatem; namque, ut alio loco docet Martiani interpres, *et corona et diadema neque initium neque finem videntur habere: nam cum in se revolvantur, earum neque initium neque finis aspicitur: ideo per diadema vel coronam aeternitas exprimitur.* Idem Iupiter riciniatus, ut ait Arnobius, atque barbatus, in his picturis violacea et veluti nigricante purpura amicitur, qui color purpurae nobilissimus fuit (5): Deos autem purpura amictos tradunt passim auctores (6). Et quidem Servius ad Ecl. VI. 22: *rubeus color Deorum est*; *et in Capitolio Iupiter in quadriga miniata.* Praedictus autem vaticanus mythographus diserte de Iove ait: *faciem quoque de rubrica illinunt, instar coloris aetherei.* Calceos croceos gerit Iupiter, ut ille olympius apud Pausaniam, premitque suppedaneum item croceum sive aureum, quamquam pulvinar est viride. Hi vero colores terram innuunt, quam Iovi suppositam aiunt mythici, quos inter Martianus (7): *calceos smaragdineae viridi-*

(1) *Praep. evang.* lib. III. 9.

(2) Lib. V. 11.

(3) Voc. Ζεύς.

(4) Lib. I. cap. 16. edit. Norimberg. an. MDCCXCIV.

(5) Vide Philostratum *Icon.* I. 28. II. 2. Lege etiam Vulpium *ad Catull.* LXIII. 49.

(6) Ovidius *Metamorph.* II. cap. 1. Catullus LXIII. 39. 308. Vopiscus *in Probo* cap. 16, ut alia testimonia sileam.

(7) Lib. I. 16.

tatis herbosos vestigiis eius tellus annexuit: ibique interpres, *per calceos virides terra designatur virens graminibus* (1). Croceus autem pallidior color in ambrosianis picturis faciem terrae imitatur: vel potius throni Deorum ac principum crocei sunt sive aurei in ambrosiano codice propter homericnm epitheton *χρυσόθρονος*. Erat autem thronus sella cum suppedaneo, uti diserte scribit Athenaeus (2): *ὁ γὰρ θρόνος αὐτὸ μόνον ἐλευθέριός ἐστι καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ*. Denique Iovis reliqnorumque Deornm capitibus nimbus circumfunditur in ambrosianis pictnris modo caeruleus modo ruber modo etiam smaragdinus. Nimbus *divina nubes* dicitur a Servio (3) *fulgidumque lumen capita Deorum cingens*, *quicum etiam pingi solent*: a Mamertino autem appellari videtur (4) *lux divinum verticem claro orbe complectens*. Immo in vaticanis Virgilii picturis (5) principibus quoque viris circumponitur nimbus, qnod in aliqnot etiam imperatorum romanorum nummis factitatum videmus.

Iuuo peplum in caput adducit modo album modo caeruleum modo etiam violaceum; stola utitur alba, interdum tamen hyacinthina; sceptrnmque regale, ut et ceteri Dii, gerit. Mithram etiam aliquando capiti imponit. De Iunone ita Martianus (6): *Iuno tecto capite lacteo quodam galumpnate* (7) *praenitebat. Vestis eius hyalina; sed peplum fuerat caliginosum, quod tamen si appulsu cuiusdam luminis tangeretur, inter vibrantes nebulas, sudae perspicuitatis gratia praeniteret*. Iunonem velatam cernimus in marmore romauo (8), tum etiam tradunt Fnlgentius (9) et Albricus (10) mythographi, itemqne Valerius Flaccus (11): sceptrigeram exhibent picturae Virgilii vaticani (12). Mythographus vat.: *Iunonem divitiarum asserunt dominam, unde et cum sceptro eam depingunt. Ideo eam capite velato pingunt, quod omnes divitiae quasi praegnaces sint* etc.

Minerva, seu Pallas, galeata, atque ut ait Arnobius p. 209, *militari sub galea puellula delitiscens*; peplo vel pallio humeris circumposito, gorgonem in pectore clypeoque ostentans, hastam sceptrnmve tenens. Sub peplo amicitur tunicâ, quam zona praecingit: tum interdum additur ricinium, nempe tunica brevior, nudis semper brachiis non sine armillarum ornatu. *Triplicem habet vestem*, inquit mythographus vat., *seu quia omnis sapientia est multiplex*, *seu quia celata*. Pepli minervalis color rubeus, (nti etiam martialis chlamydis) gorgonei monstri caeruleus, tunicae hiacynthinus. Peplum Palladi, secus ac fit iu ambrosianis pictnris, trahit in caput Martianus (13): *Pallas oculos peplo*, *quod*

(1) Addit Martianus: *sub calceis vero fuscinam deprimebat*: ibique interpres ambrosianus, *per fuscinam mare designatur*; *nam fuscina est tridens id est gestamen neptunium*. At Banierius (*la Mythologie* tom. II. p. 72.) interpretabatur (mirabile dictu!) *il pressoit un rossignol*, quia nimirum legit imperitissime *lusciniam* pro *fuscinam*.

(2) Lib. V. ed. Casaub. p. 192.

(3) *Ad Aen.* II. 616.

(4) *Paneg. ad Maximian. Aug.* cap. 3.

(5) In editione nostra tab. XXII. XXIII.

(6) Lib. I. 16.

(7) *Galumpna* explicatur ab antiquo ambrosiano interprete *velamen nitidissimum a graeco γάλα lac*; atque ita habent codices et editiones: quam lectionem *galumpna* merito mavult intelligere *calumma* (*κάλυμμα*) nuperus Martiani editor Goëzius.

(8) *Mus. Pio-Clem.* tom. I. tab. 3.

(9) *Mythol.* II. 3.

(10) Cap. II.

(11) *Argon.* I. 132.

(12) In editione nostra XLIII. LVI. LIX.

(13) Lib. I. 14.

rutilum circum caput gestabat, *obnubens*: quem locum declarans interpres ait: *peplum est matronale sive virginale pallium* (1). *Est proprium amiculum Palladis cum quo ei matronae sacrificabant*; *unde Virgilius*, *interea ad templum non aequae Palladis ibant – crinibus Iliades passis peplumque ferebant*. Minervae omnis habitus sic cum priscis Deae monumentis conspirat, ut verbis plane temperandum sit. Sane et peplum rubrum est, cuiusmodi fere in antiqua pictura conservabatur (2); interdum tamen subsuitur illi croceus color, uti est apnd Euripidem Deae peplum (3).

Venus in ambrosianis picturis ter cernitur (4) cum peplo candido, cui subtexitur color croceus, cumque stola rubra ob mollitiem discincta, semel autem ant iterum cum sceptro. Veneris peplum memorat hymni auctor (5), itemque Claudianus (6). Venerem sedentem atqne sceptrigeram exhibet pictnra Virgilii vaticani (7). Volitans peplum Veneris cernitur etiam in herculanensi pictura (8). Denique Venerem pingi solitam palliatam, scribit etiam S. Augustinus de Ord. II. 34.

Thetis, τανύπεπλος ab Homero dicta (9), peplo reapse amplo longoqne (10) circumplicatur in ambrosianis picturis VII. et IX: cui quidem vocabuli interpretationi prorsus favet ambrosianus Homeri scholiastes (11). Et priore quidem pictura Thetis ad filium venit capite aperto; posteriore autem ad Iovem velato, quia videlicet supplex fit: porro supplices velare olim capita solitos notissimum est (12).

Apollinis in Homero picto frequens interventus est. Caput imberbe, in quo intonsa caesaries laureâ coronâ densatur, prorsus ut in Apolline cytharoedo musei vaticani, chlamyde utitur alba aut violacea (13) satis ampla et insigni; calceos induit ornatos (14), qui in nudo Apolline vaticano spectantur; pharetra interdum post humerum visitur; bis sceptrum manu, alias lauream frondem gestitat. Phoebi comam et vestem et laurum saepe celebrat Tibullus (15): Laurum ab Apolline inventam, eique communi hominum ritu consecratam tradit siculus Diodorus (16): quare et lauripotens Apollo dictus cst (17). Consecrationis eius causas docet Porphyrius apud Eusebium (18). Laurum manu retinet apud Martianum (19) Apollo. Ornatum eius et ἶθος describit etiam my-

(1) De peplo antiquorum variae feruntur sententiae ac descriptiones, quas inter legesis scholiasten olim a nobis editum *Odyss*. VI. 38. XVIII. 291.

(2) Winckel. *Monum. ined.* tom. II. p. 156.

(3) *Hecub.* v. 468.

(4) Tab. IX. X. XIX.

(5) *In Vener.* v. 85.

(6) *Epithal. Honor.* v. 123.

(7) In editione nostra tab. XXI.

(8) Tom. IV. tab. 3.

(9) *Iliad.* XVIII. 385.

(10) Ita etiam Servius ad Aen. VII. 275. explicat vocabulum τανύπεπλος.

(11) *Ad Odyss.* IV. 305.

(12) Lucretius V. 1197. *Velatum saepe videri vertier ad lapidem atque omnes accedere ad aras.* Virgilius *Aen.* III. 545. *Et capita ante aras phrygio velamur amictu.* Plura exempla congerere vanum est.

(13) In musivo opere romano induitur chlamyde caerulea. *Bartoli pitt. ant.* tab. 2.

(14) Apollinis calceos memorat Martianus I. 17.

(15) *Eleg.* lib. II. III. 12. sqq. V. 5. sqq. III. IV. 23. sqq. IV. IV. 2.

(16) Lib. I. 17.

(17) Apud Martianum I. 11.

(18) *Praep. ev.* III. 11.

(19) Lib. I. 5. et 12. Confer etiam cl. Millingenium *Peintures inedit.* tab. XXX.

thographus vaticanus, satis nostris picturis consonans: et sane talis est in decima, qualem describit Arnobius: *cum plectro et fidibus Delius citharista, gestus servans cantaturi et naenias histrionis.*

Musae, Apolline praecinente (nam pro voce humana Apollinem quandoque accipi ait mythographus vat.) Iove patro audiente, ut inquit Fronto (1), in caelo cantant. Prima Musarnm conspicitur Urania cum globo radioque (2). Id vero sapienter pictum, primum quia Musas in caelo canentes Urania, id est *Caelestis*, merito anteit; iterum quia globus et radius huic Musae diserte tribui solet in antiquis picturis (3) et siguis (4). Musarum ordinem ducit Urania apud Martianum (5), reiqne causam sic docet interpres: *Urania primum ponitur, id est humanae intelligentiae sublimitas.* Eadem prima apud praedictnm Martiannm canit (6): *tunc Urania ceteris paullulum reticentibus coepit.*

Mars armatus et chlamydatus nostro in codice semper pingitur. Chlamydem genus esse vestis militibus aptae et observat Martiani interpres et per se notissimum est. Hinc Graeci in ambrosianis picturis chlamydati semper pugnant. Martiae chlamydis color ruber est; nimirum Mars a Martiano (7) diserte dicitur *ruber iuvenis.*

Vulcanus deformis (8), torosis membris, pallio rubenti, tunica brevi pileoque fabrili tectus, semel etiam cum forcipe et malleo (9). Id figurae insigniumque genus quantopere cum aliis priscis Vulcani imaginibus congruat, nemo eruditus non videt (10). Arnobius p. 197: *cum pileo Vulcanus et malleo, manu liber sed dextera, et fabrili expeditione succinctus.* Pallium eius rubrum vim ignis, cui Deus hic praeest, indicat. Iam de ipso pileo, cnius color in ambrosiana LIII. tabula caeruleus est, mirus extat locus Porphyrii apud Eusebium (11): τοῦ δ' αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον, ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον, τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυρὸς εἰς τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον: *iam ipsius ignis vim Vulcanum appellantes, humanam ei figuram confinxerunt, eidemque pileum caeruleum imposuerunt, caelestis indicium conversionis, in qua primigenius defaecatusque ignis servatur.*

Mercurium dicit Martianus (12) *seminudum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque cetera, humerorum cacumen obnubere.* Rursus Apu-

(1) *Ad Marcum Caes.* ed. rum. I. 6.

(2) Tab. X.

(3) *Herculan.* tom. II. tab. 8.

(4) *Mus. P. Cl.* tom. I. tab. 25. 26. et tab. B.

(5) Lib. I. 12.

(6) Lib. II. 4.

(7) Lib. I. 17.

(8) Vulcanus dicitur *luteus* a Iuvenale *Sat.* X. 132, quod vocabulum vetus interpres poëtae ambrosianus explicat *lutei coloris*. Tum Martiani interpres ambrosianus ad lib. I. 4, itemque mythographus tertius vaticanus (in Pallade) aiunt: *ponitur etiam Vulcanus pro igne obscenae cupiditatis, unde Veneris fingitur maritus. Et bene lutosus quia obscena voluptas in lutosis et immundis mentibus versatur.* Ergo *luteus* apud Iuvenalem significat *sordidum* potius quam *fictilem* Vulcanum, quam postremam vocabuli notionem malebat cl. Vicecomes *Mus. P. Cl.* tom. IV. tab. 11. p. 21. not. c.

(9) Tab. X. et LIII.

(10) *Mus. P. Cl.* tom. IV. tab. 11. Spanhem. *ad Callimach. in Dian.* v. 49. Virg. vatic. tab. XIV. Mus. capitol. tom. IV. tab. 25. Tunicam fabrilem videsis etiam apud Willeminum *Choix de costumes tom. I. tab. LV.* n. 243. et Academ. des Inscript. T. III. p. 242.

(11) *Praep. ev.* III. 11. p. 112.

(12) Lib. I. 4.

leius (1) de Mercurio: *en vide quam facies eius decora et succi palaestrici plena sit; ut in capite crispatus capillus appareat; quam lepide super tempora pares pinnulae emineant; quam festive circa humeros vestis substricta sit.* Haec ambrosiani Mercurii descriptio est (2). Ab Arnobio quoque p. 209. dicitur Mercurius pinnatus. Docet autem Sanchuniathon apud Eusebium (3), alis fronti Deorum additis principatum mentis vimque sentiendi significari: aligerumque diserte Mercurium propter mentis potentiam dicit Macrobius (4). Remigius apud mythographum vat. adnotat virgae mercurialis caput esse auratum, medium glaucum, piceam finem: per geminos autem serpentes quibus virga innectitur, venenosam rhetorum facundiam designari. Quia vero Phoebi frater Mercurius est, circaque solem versatur, idcirco in Deorum consessu a Phoebo non abest (5). Stat autem, quia Deorum minister est (6), raroque admodum in priscis imaginibus Mercurium sedentem videas. Sed illud in primis notandum quod huius Dei sinciput flamma erumpente distinguitur. In monumentis a Montfauconio congestis haud semel occurrit Mercurius cum vertice ad hunc fere modum ornato (7), in quo genere ornatûs explicando aqua haeret doctissimo auctori; ego vero haud scio an ambrosiana pictura satis doceat, in aliis quoque imaginibus eamdem flammam esse intelligendam. Quaeret aliquis cuiusnam rei symbolum haec flamma Mercurii sit? Certe moris est geniorum atque artium imaginibus flammas in capite adiungere; maximus autem genius Mercurius est et cunctarum artium princeps habetur. Rursus praedictus ignis stellam Mercurii fortasse significat. Sidus visitur in abraxa effigiem referente Mercurii (8). Profecto Diis, qui sua nomina sideribus indiderunt, ipsa sidera apponere sollemne est, ut Veneri, Dianae, Soli, Dioscuris. Iam et in quodam zodiaci fragmento inter ceteros planetas visitur Saturnus, *e cuius fronte*, inquit Montfauconius, *flamma erumpit* (9). Sane et Martianus narrat (10) Deos caelestes ad Iovem cum vibrantibus venisse sideribus. Antequam ab hoc igne Mercurii discedo, locum adhuc Apuleii (11) laudare iuvat de Mercurio: *adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum.* Atqui epitheton *luculentus* facit plane e re nostra; est enim *luce abundans*, vel ut loquar cum ambrosiano Martiani scholiaste (12), *luculentus, id est luce plenus, quia lentus pro pleno dicebatur; unde sompnolentus, id est plenus sompno, temulentus, id est plenus mero.*

Iris alata est non solum in ambrosiana pictura XXIX, verum etiam in

(1) *Apolog.* ed. paris. p. 507. Confer Isidorum Orig. VIII. 11.

(2) Vide tabulam IX.

(3) *Praep. ev.* I. 10. p. 39.

(4) *Saturn.* I. 19.

(5) Vide tabulam IX.

(6) Hinc *Statius* servile nomen est apud Gellium IV. 20.

(7) *Antiq. expl.* tom. I. tab. LXVIII. 5. LXIX. 3. LXXII. 4. LXXVII. 16. 17.

(8) *Antiq. expl.* tom. I. tab. LXXVI. 6.

(9) *Supplem.* tom. I. pag. 44.

(10) Lib. I. 16.

(11) *Metamorph.* lib. X. p. 345.

(12) Ad lib. I. 4. Alia tamen etymologia huius vocis, haud absona quidem Mercurio sed praesenti proposito minime conveniens, recitatur in ambrosiano latino lexico ante annos prope nongentos scripto, sive apud Isidorum Etym. lib. X.: *luculentus, ab eo quod sit lingua clarus et sermone splendidus.*

prisca patera (1), et in vasis vulgari nomine etruscis (2), nec non in vaticani Virgilii pictura LXI. Sane et apud ipsum Virgilium (3) Iris *in caelum paribus se sustulit alis*.

Nox cum palla subviridi pansisque alis bis visitur in nostris tabellis (4). Noctem in Diis habitam apud veteres exploratum est. Extat Orphei hymnus in noctem; tum etiam Aeneas noctem cum ceteris Diis invocat (5). Noctis alas memorat Virgilius (6), *nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis*; pallam Statius (7): *coeperat humenti Phoebum subtexere palla - nox*, *et caeruleam terris infuderat umbram*.

Nihil similius veteribus fluviorum imaginibus quam noster Xanthus (8) sive Scamander (idem enim est fluvius (9)): impexus crinis, algis ex eo subnascentibus, promissa barba, vultus senilis et horridior, humeri et femora glauco sive caeruleo amictu velata, canna palustris et urna. Marinis vel aquaticis Diis vestes caeruleas sive subvirides tribuunt Paterculus (10), Apuleius (11) atque Martianus (12). De Tiberi fluvio canit ita Virgilius (13): *huic Deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno - populeas inter senior se attollere frondes - visus*; *eum tenuis glauco velabat amictu - carbasus*, *et crines umbrosa tegebat arundo*. Nili apud eumdem Virgilium haec imago est (14): *contra autem magno maerentem corpore Nilum*, - *pandentemque sinus et tota veste vocantem - caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos*. Paria canit Claudianus de Tiberi (15) et de Eridano (16). Iam ipsam Scamandri seu Xanthi imaginem in neapolitana pictura spectatam narrat graphice Philostratus (17), in qua scilicet tabula, non secus atque in ambrosiano codice, Vulcanus fluvii aquas igne exurebat, Scamander autem exitium a se supplex deprecabatur.

Post Deos collocandi sacerdotes auguresque videntur. In homericis tabellis bis pingitur Chryses, bis item Calchas, semel Theano (18). Et illi quidem lauro comas velant, haec autem infulâ sine vittis. Vestis omnium talaris, partim alba partim violacea non sine coloratis segmentis. Calchas etiam manu laurum praefert (19) ut Sibylla in vaticano Virgilio (20); Theano sceptrum, ut Chryses apud Homerum (21). Infulam in capite feminae sacerdotis sine vittis sive lemniscis notavit cl. Vicecomes (22). Vestem praelongam sacerdotum esse propriam, in confesso apud antiquarios non solum verum etiam apud plebem

(1) Apud Dempsterum *Etrur. reg.* tom. I. tab. 2.

(2) Apud Caylusium *Recueil d'antiq.* tom. II. tab. XXV. itemque apud Willeminum *Choix de costumes* tom. II. tab. LXXV et LXXXII.

(3) *Aen.* IX. 14.

(4) XXXIV et XXXV.

(5) *Aen.* VII. 138.

(6) *Aen.* VIII. 369.

(7) *Theb.* II. 527.

(8) Tab. LII et LIII.

(9) Lege Homerum *Iliad.* XX. 74.

(10) Lib. II. 83.

(11) *Metamorph.* X. p. 347.

(12) Lib. I. 17.

(13) *Aen.* VIII. 31.

(14) *Aen.* VIII. 711.

(15) *In Olibr.* v. 209.

(16) *De cons.* VI. *Honor.* v. 159.

(17) *Icon.* lib. I. 1.

(18) Tab. I. VIII. XII. XXV.

(19) Tab. XII.

(20) Tab. XLIV.

(21) *Iliad.* I. 15.

(22) *Mus. P. Cl.* tom. III. tab. XX. p. 26. not. b.

est. Ex lino, inquit Hieronymus (1), tunica ποδήρης, id est talaris, sacerdotum atque pontificum vestis est. Candidas sacerdotum vestes haud raro memorant scriptores. Utique et Martiani interpres ait (2): *apud Indos sunt herbae quaedam lanuginem candidissimam ac mollissimam ferentes, ex quibus pontificum vestes fieri solent.* Laenam candidam Aristandri auguris nominatim scribit Plutarchus in vita Alexandri macedonis (3); tum apud Virgilium (4) Orpheus dicitur *threicius longa cum veste sacerdos.* Cur ab auguribus vatibusque adhiberetur in arte laurus, docet inter alios Porphyrius apud Eusebium (5): *ὅτι λάλον καιόμενον εἰς παράστασιν τοῦ προφητεύειν τὸν θεὸν*, *quia dum uritur vocalis est* (laurus), *idcirco vim prophetandi inesse Apollini innuit.* Iam et Martiani interpres (6), secundum veterem superstitionem ait *hoc esse naturale lauro ut dormienti ad caput posita faciat eum videre futura.* Denique et sacrificiorum minister popa (7) seminudus eoque fere cultu pingitur, quem alia innumera exempla confirmant.

Sequitur ut principum privatorumque aliquot hominum characteres priscis moribus apprime consonos in his homericis picturis consideremus. Heroas pictor in ambrosiano codice paulo grandiores ceteris mortalibus fecit; sive quia reapse statura maiore fuisse illos praeditos arbitrabatur, quam quaestionem erudite tractat Philostratus (8); sive potius ut priscum sequeretur morem artificum, a quibus potiorum in tabulis argumentorum augeri moles solebant.

Agamemnonis insignia in nostris tabellis sunt, praecipuum quidem diadema album, tum sceptrum, et iniecta armis chlamys purpurae violaceae, qualem Iovis esse docuimus. Iamvero diadema, seu vitta crines complexa, sic *est gestamen regii capitis*, ceu Martiani interpres loquitur (9), ut in homericis quidem picturis nemini praeter quam Agamemnoni circumligetur.

Achilles nudus, praeter dependentem ex humeris chlamydem, quam etiam femori honeste praetendit. Vestis huius achilleae colorem hyacinthinum, cuiusmodi fere est in ambrosianis picturis, vidit senior Philostratus in antiqua Achillis pueri imagine (10): *ἡ χλαμὺς ἣν ἀμπέχεται παρὰ τῆς μητρὸς οἶμαι· καλὴ γὰρ καὶ ἁλιπόρφυρος καὶ πυραυγὴς, ἐξαλλάττουσα τοῦ κυανὴν εἶναι*: *chlamys, qua induitur, a matre est, ut puto; pulchra enim est ac purpurea, igneique coloris atque in nigricantem vergens.* Semel est armatus Achilles contra Hectorem (11).

Nullus fere in ambrosianis picturis heros tam propriis insignibus et characteribus utitur quam Ulyxes. Huic semper in capite est pileus nauticus, quem ipsi primum addidisse pictorem Nicomachum docet Plinius (12), quemque numquam posteriores artifices ab eiusdem imaginibus abesse voluerunt. S. Hieronymus quoque epist. nuper cit. ait: *rotundum pileolum, quale pictum in Ulyxe conspicimus.* Facie severa tristique, oculis solo fixis aut errabundis, subrusticum

(1) Epist. LXIV. 10.
(2) Ad lib. II. 4.
(3) Ed. par. tom. I. p. 684. D.
(4) *Aen.* VI. 645. Suffragatur autem Callistratus in *statuis* ff. 7.
(5) *Praep. ev.* III. 11. p. 112.
(6) Ad lib. I. 5.
(7) Tab. XIII.
(8) *Heroic.* cap. I.
(9) Ad lib. I. 5.
(10) *Icon.* II. 2.
(11) Tab. LIV.
(12) Lib. XXXV. sect. 36.

meditantique similem tradunt Ulyxem Homerus (1) Ovidius (2) duoque Philostrati (3); atqui hanc fere speciem Ulyxes in ambrosianis picturis retinet (4). Vultum eiusdem excitatum ἐγρηγορότα, cuiusmodi scribit senior Philostratus (5), in quarta tabella videre est. Lorica numquam tegitur Ulyxes, quod in Antisthenis oratione (6) ipse heros praedicare videtur, et Homerus (7) atque Ovidius (8) confirmant: pallium sive laenam (potius quam chlamydem) purpuream, tunicamque subalbam et brevem fecit ei noster pictor, idque vestium suarum genus iactat ipse Ulyxes apud Penelopen (9). Et quidem Ulyxes in nostris picturis sedet vel stat collecto plerumque, ut cum Plauto loquar, pallio. Denique calente Marte numquam fere Ulyxes prima in acie depingitur (10); immo plerumque in postrema est: cautum enim Ulyxem consulentemque saluti tradunt Homerus atque Philostratus (11). Ulyxem in scenis semper palliatum induci solitum Donati sententia est (12): *Ulyxem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit; quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella procedere: seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit; huius enim virtutis erat animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacae incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant.* Donati dicto Iulius Caesar Scaliger contradixit (13), cui postremo suffragatus est Winckelmannus (14) propterea quod in prisca patera (15) Ulyxem nudum bis exhiberi putavit sub ariete ex antro Polyphemi evadentem. Sed enim mihi quidem falli omnino videtur Winckelmannus: illa enim in patera non bis Ulyxes (quod ipsum est absurdum) sed duo nudi sodales Ulyxis (quibus propter cursum maritimum merito additur pileus nauticus) Polyphemum fugientes repraesentantur. Eius rei validissimum argumentum est, quod in patera duo illi suo quisque arieti haerent funibus alligati. Reapse autem Ulyxes ita sociorum securitati consuluerat: τοὺς ἀκέων συνέεργον ἐϋστρεφέεσσι λύγοισι (16). Verum ipsi Ulyxi, propterea quod esset postremus, brachiis tantum suis complectendus aries fuit: αὐτὰρ χερσὶν ἀώτου θεσπεσίοιο – νωλεμέως στρεφθεὶς ἐχόμην τετληότι θυμῷ (17), quia scilicet a nemine reliquo colligari potuerat, ut ibi scholiastes noster prudenter observat. Et quidem apud eumdem Winckelmannum in alia imagine (18) Ulyxes vestitus et sine vinculis, brachiis autem arietem tenens, occurrit.

Nestori in ambrosianis tabellis appingitur barba annis senilibus pasta, tunica item amplumque pallium. Haec vestium natura grandaevae frigidaeque Ne-

(1) *Iliad.* III. 217. sqq.

(2) *Metamorph.* XIII. 125.

(3) *Heroic.* X. 12. *Icon.* II. 7. III. 1.

(4) Tab. II. III. VIII. XII. XIII. XXXI. XXXIII. sqq.

(5) *Icon.* II. 7.

(6) Edit. Reiskii tom. VIII. p. 60.

(7) *Iliad.* III. 195.

(8) *Metamorph.* XIII. 103.

(9) *Odyss.* XIX. 225. 234.

(10) Vide tab. XVI. XVII. XX. XXI. XXII. XLII. His addenda est tab. XLIII, in qua Ulyxes agmen Graecorum claudit; sed enim evanida herois imago inter excudendum agnosci a mediolanensi artifice non quita est, quam nos in hac nova editione restituimus.

(11) *Iliad.* IV. 347-348. *Heroic.* X. 3.

(12) *Ad Terent. de tragoed.* etc.

(13) *Poëtic.* lib. I. 13. p. 21.

(14) *Monum. ined.* tom. II. p. 210.

(15) Op. cit. tom. I. tab. 156.

(16) *Odyss.* IX. 427.

(17) Vers. 434.

(18) Tom. I. tab. 155.

storis actati conveniens est, et cum Homeri narratione consentit (1): *ἔνδυνε περὶ στήθεσσι χιτῶνα. – ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν περονήσατο φοινικόεσσαν – διπλῆν, ἐκταδίην· οὔλη δ' ἐπενήνοθε λάχνη.* Nestorem tunicatum atque palliatum visus est sibi observare in anaglyptico opere Winckelmannus (2). Nestoris imago cum ambrosiana satis consentiens extat apud Philostratum (3).

Paridis tam erudita pictura est in homerico codice, ut ea plane nonnisi e priscis imaginibus erui potuerit: pileus phrygius, longa caesaries (4), pastorale pedum, braccata femora, eleganter vestita crura, Paridis cultum egregie illustravit summus Vicecomes dum romanam eiusdem statuam describeret (5) (quam nos in fronte operis ornatûs causa posuimus): ad eamque rem loco Euripidis percommode usus est, qui Helenam dicit admiratam varia Paridis tibialia, eamque ob speciem amore perculsam: *τὴν προδότιν, ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους – περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα ἐξεπτοήθη* (6). Idem Paris a Mavortio poëta dicitur *pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum* (7). Paris cum pedo sedet in iudicio Dearum (8).

Pictura nostri codicis quinta supra quinquagesimam propter ludorum aurigarumque repraesentationem nobilissima est, dignaque maxime quae eruditorum oculos teneat. Bigariorum colores heic quatuor omnino sunt, albatus, russatus, prasinus, venetus (quamquam duo sunt prasini agitatores, propterea quod quinque in Patrocli inferiis bigâ certaverunt). Iam hisce coloribus famigeratas illas quatuor romani circi factiones pictor exhibuit: neque enim is troicorum temporum cultus et mores affectat (quis enim hos divinare potuisset?) sed suae plerumque aetatis consuetudines sequitur. Neque tamen ex hac tabella coniicere licet pictorem esse romanum; namque etiam Constantinopoli post translatam illuc imperii sedem iidem ludi eaedemque factiones inter Graecos fuerunt, teste cum aliis Corippo (9). Igitur graeco aeque pictori eadem factionum coloratarum imago obversari animo potuit. Illud rursus observandum est, quod hi colores haud sunt in vestibus agitatorum unici sive continui, verum segmentorum varietate interstincti. Albatus bigarius cum alba tunica, segmentis autem furvis, manicis prasinis. Russatus cum tunica rubra, segmentis furvis et manicis venetis. Prasinus cum tunica prasina seu viridi, segmentis furvis, albis manicis. Duo denique veneti cum tunica veneta seu caerulea, segmentis furvis et manicis albis. Zonae partim luteae sunt partim subalbae. Iam agitatores zonis praecingi solitos tradunt scholia nostra ad Odysseae librum extremum v. 89. ibidemque plenius Eustathius: *ἡνίοχοι μὲν καὶ τοξόται καὶ ἀκοντισταὶ καὶ δισκοβόλοι ζώννυνται· δρομεῖς δὲ καὶ παλαισταὶ, γυμνοὶ ἀθλοῦσι*: *aurigae* etc. *zona utuntur*; *qui autem cursu* etc. *certant nudis corporibus sunt*. Omnium vero fe-

(1) *Iliad.* X. 131. sqq.

(2) *Monum. ined.* tom. I. tab. 127. tom. II. p. 169.

(3) *Heroic.* III. 3.

(4) De Paride notissimum illud Horatii *Od.* lib. I. XV. *Nequicquam Veneris praesidio ferox pectes caesariem.*

(5) *Mus. P. Cl.* tom. II. tab. 37. Haec autem imago cum aliis in fronte libri nostri recusa est.

(6) *Cyclop.* v. 181. sqq.

(7) *Anthol. lat.* lib. I. ep. 147.

(8) Bartoli *Pitture dei sepolcri de' Nasoni* tab. 34.

(9) *De laudib. Iustini* I. 319. sqq.

moralia et tibialia videntur lutea. Porro vestes polymitae in aurigationibus solemnes erant: eiusmodi sunt quadrigarii, quos vas hamiltonianum et fabrettiana lamella conservant (1). Variegatam agitatorum vestem Aristophanes (2) vocitat *ξύστιδα*, quo loco vetus acholiastes ait: *ξύστιδα ἤγουν πορφυρίδα· καὶ γὰρ μέχρι νῦν οἱ εἰσελαύνοντες ἀθληταὶ τοιούτῳ κοσμηθέντες σχήματι καὶ ἅρματος ἐπιβάντες, διὰ μέσης πομπεύουσι τῆς πόλεως. Καὶ ἄλλως. Ξύστις λέγεται τὸ κροκωτὸν ἱμάτιον, ὃ οἱ ἡνίοχοι φοροῦσι μέχρι νῦν πομπεύοντες.* Iam xystidem diserte ait fuisse variegatam Theocriti etiam scholiastes (3) qui ad Aristophanis locum provocat: *ξύστις γυναικεῖον τι ἔνδυμα πεποικιλμένον· ἦν δὲ καὶ ἀνδρῶν· Ἀριστοφάνης, μ' ἐλαύνεις ἐπὶ πόλιν ξύστιδ' ἔχων.* Sed nulla vetus imago ad ambrosianam bigariorum tabellam aeque accedit ac parvum signum a Caylusio editum (4) quod mihi a cl. Caietano Cattaneo demonstratum fuit, regii nummarii praeside; qni meae olim mediolanensi Homeri editioni amicissime favit. Nimirum illius statuae gestus eiusmodi est, ut agitatorem habenas moderantem procul dubio agnoscas: tum et petasi formâ eâdem prorsus utitur, qua homerici agitatores, itemque tunica universa virgata est, et latâ zonâ constringitur. Caylusius quidem ae aestuasse fatetur, quid hoc simulacro significatum esse diceret; demumque in eam coniecturam abiit, ut barbarum Euxyni ponti militem videre se crederet. Mihi vero de auriga cogitandum prorsus videtur.

Tres homerici codicis tabulae pictam convivantium effigiem habent, Deorum scilicet, Graecorum, ac Troianorum (5). Dii magnifice sedent praetensis gremio pulvinaribus, mensis cum nectare appositis, quod mensarum genus Varro diceret cylibatum (6). Antiquissimus convivantium mos fuit uti sederent, teste Athenaeo (7): *ἐκαθέζοντο δὲ καὶ δειπνοῦντες οἱ τότε.* Quare et artifex noster melius dignitati Deorum se consulturum putavit sedentes pingendo qnam reclines. In caena Graecorum notandum est ante omnia tabernaculorum genus humile, quod in homerico codice conviviis tantum adhibetur, in vindobonensis autem Geneseos tabellis (8) aliis quoque vitae usibus accommodari videtur. Quin et in aedibus prisci homines sub aulaeis mensae accumbebant, qnod testatur Horatii interpres ibi ubi agitur de caena Nasidieni (9). Ante convivas culcitae semicirculares sunt, ad quas cubitis innixi cibum capiebant veteres. Sic Pharao in Aegypto (10), sic Dido Carthagine (11), sic Troiani in arce (12), aic alii veteres in marmoribus (13) et in diptychis (14) convivantur. Huiusmodi pulvi-

(1) Apud Winckelmannum *Hist.* tom. I. p. 216. et apud Fabrettum *ad tabell. iliac.* p. 340. Confer Tertullianum *de spect.* cap. 19, et Cassiod. *var.* III. 51.

(2) *Nub.* v. 70.

(3) Ad *idyll.* II. 74.

(4) *Recueil d' antiq.* tom. V. p. 194. tab. 47. n. 5. et 6. Idem signum recensum est a Mallioto *Recherches sur les costumes* etc. tom. II. p. 180. tab. 22. n. 8.

(5) Tab. X. XXVII. XXX.

(6) *De LL.* IV. 26.

(7) Lib. V. p. 192.

(8) Apud Lambecium *Comment. de Biblioth. vindob.* tom. I. tab. XIX. et XX.

(9) *Ad Satyr.* lib. II. VIII. 54.

(10) Apud Lambecium tomo praedicto tab. XXXIV.

(11) In Virgilio vaticano apud nos tab. XXII.

(12) Ibidem tab. XXV.

(13) Apud Ursinum *in appendice ad Ciacconium de triclinio* p. 128. 129; nec non apud Caylusium tom. II. tab. CXV. Vide etiam Bottarium *Roma sotterranea* tom. II. et III. passim.

(14) Apud Bugatum ambrosiani collegii sodalem *Spiegazione di un dittico milanese* tab. I. n. 7.

naribus nomen fuisse sigmata abs vetere forma graecae litterae, exploratum est. Sigma autem seu stibadium Agamemnonis peculiari aliqua consideratione dignum videtur: ibi enim primus in sinistro cornu est Aiax, tum sequitur Agamemnon; tum tertius Menelaus, tum denique in dextro cornu Ulyxes voracitati indulgens, quam ei Agamemnon aliquando exprobravit (1). Iam quis horum honoratiorem locum obtinet? Multae veterum recentiorumque auctoritates medium honestiorem esse suadent; et tamen dominus Iesus in diptycho, Pharao in biblico codice, Maioranus imp. apud Sidonium (2) in dextro cornu recumbunt. Ergo vel adhuc sub indice lis est, vel is potius ritus pro regionum et temporum diversitate variavit. Et quidem hac super re docte disputat Plutarchus in quaestionibus convivalibus (3). Discumbunt autem in unoquoque sigmate terni, qua super re pretium operae est audire Gellium loquentem (4) ex mente Varronis: *lepidissimus liber est M. Varronis ex satyris menippaeis, qui inscribitur* nescis quid vesper serus vehat; *in quo disserit de apto convivarum numero, deque ipsius convivii habitu cultuque. Dicit autem convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad Musarum; id est, proficisci a tribus, consistere in novem: ut, cum paucissimi convivae sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem.* At in Agamemnonis sigmate quatuor convivantur propter additum fortasse Aiacem qui nuper Hectorem paene interemerat (5): et quidem hunc etiam morem memorat Horatius (6): *saepe tribus lectis videas caenare quaternos.* Porro plerique omnes humum insident cossim, ut apuleiana locutione utar (7); at in remotiore tentorio miles quidam utpote sub caenae initiis pronus incumbit ad cibum, plane ut loquitur Plautus in Milite (8): *sed procellunt se et procumbunt dimidiati dum appetunt.* Contra in anteriore tentorio miles alius exsaturatus se se in cubitum reponit, canente item Horatio (9): *languidus in cubitum iam se conviva reponet.* Convivantur autem cum imperatore Agamemnone sagati milites, quem morem haud scio an tangat Svetonius (10); positis tamen cingulis, cuius consuetudinis mentio superest apud Trebellium (11). Apponitur autem convivis mensa pro discis ut loquitur Servius (12), seu certe discus communis; et quidem mensae omnes rotundâ figurâ sunt in Deorum, Graecorum, et Troianorum conviviis (13). Hac nimirum forma saepe occurrunt mensae in antiquitatis reliquiis. Profecto et Virgilius quum fore dixisset ut Troiani mensas absumerent (14), tum rem peractam sic narrat (15):

> *Consumptis hic forte aliis ut vertere morsus*
> *Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,*
> *Et violare manu malisque audacibus orbem*
> *Fatalis crusti.*

(1) *Iliad.* IV. 345.
(2) *Epist.* lib. I. 11.
(3) Lib. I. *quaest.* 3.
(4) Lib. XIII. 11.
(5) *Iliad.* VII. 312.
(6) *Satyr.* lib. I. IV. 86.
(7) *Metamorph.* III. sub initio.
(8) Act. III. 1. 167.
(9) *Satyr.* lib. II. IV. 39.
(10) *In Iulio Caesare* 48.
(11) *In Salonino.*
(12) *Ad Aen.* I. 216.
(13) Tab. X. XXVII. XXX.
(14) *Aen.* III. 257.
(15) *Aen.* VII. 112.

Quod autem ibidem addit *patulis nec parcere quadris*, quadrae videlicet intelligendae sunt illae sectiones quae crustis ante coquendom fieri solebant. Mensa in ambrosianis picturis ponitur media inter convivas. Belle Varro (1): *Mensa postea rotunda facta; et quod a nobis media, a Graecis μέση, mensa dici potest.* Ministri milites appositis adhuc mensis alias inferunt; eae secundae a Latinis dicebantur mensae. Denique nullis linteis mensae teguntur, quod item antiquum apud Graecos certe fuit, et ab Homero satis significatum (2). Cibi pars cuique convivae sua divisim tribuitur, iuxta illud homericum saepe inculcatum *δαιτὸς ἐΐσης*, quod Odysseae interpres (3) explicans ait: *ἢ τῆς ποιούσης τὸν δαινύμενον ἐπίσης κεκορῆσθαι, ἢ τῆς ἰσομοίρου τῆς ἐπίσης πᾶσι διδομένης.* Item cibi omnes in homericis his conviviis rotundam figuram imitantur. Sane laboratae Cereris haec species erat apud antiquos, uti dicitur in Moreto (4): *laevat opus palmisque suum dilatat in orbem*, idque genus placentarum in marmore apud Ursinum (5) nec non in diptycho mediolanensi (6) videre est. Iam hi orbiculi in ambrosianis picturis subalbi sunt: itaque veniebat mihi in mentem ovorum, quae prima prisci solebant comedere. Licet enim Homerus hac in caena Graecos carne pastos fuisse innuat (7), nihilominus pictor aetatis suae ritum, ut alibi, fortasse secutus est. Denique cibi manibus ipsis prehenduntur, quod saepe inculcat Homerus: *οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον*, quodque etiam ritus lavandarum ante et post mensam manuum comprobat (8). Profecto et Fronto sua adhuc aetate scribit (9): *positas oleas digitis prendat, ad os adferat, ut manducandi ius fasque est.* Iam quum caenam Graecorum diligenter hactenus exposuerim, nihil est quod in Troianorum caena (10) iam morer. Hcic tamen observandi sunt lecti seu stibadia ex herbis tumultuarie constructa, propterea quod Troiani extra urbem casu convivantur (11). Hi sunt nimirum *tori*, ut scribit Isidorus (12), *a tortis herbis dicti, quae accumbentium humeris supponuntur.* Tum etiam observandi sunt Troiani quini (Polluci Onom. I. 8. 79. dicitur *πεντάκλινος*) in duobus toris, seni in tertio recumbentes. Id sane de Graecis in triclinio romano notat Cicero (13): *Graeci stipati quini in lectulis, saepe plures.* Iam et convivas iacentes, ut heic sunt, reclinata superiore parte corporis in cubitum sinistrum, inferiore in longum porrecta, distentis aliquando cruribus, nonnumquam dextro poplite laevum prementes, iamdiu in antiquis monumentis vel scriptoribus observavit Ursinus (14). Et quidem artifex in caena Troianorum tribus toris pictis triclinium proprie deformat.

Superest ut reliquae homericarum picturarum personae paucis verbis appelleutur. Praeconibus sive legatis insignia officii pinguntur galerus atque ca-

(1) *De LL.* IV. 25.

(2) *Odyss.* I. 111.

(3) Ad lib. VIII. 98.

(4) Vers. 48.

(5) *Append. ad Ciacconium* p. 128.

(6) Apud Bugatum tab. I. 7. Consule etiam citatum opus Bottarii *Roma sotterranea.*

(7) *Iliad.* VII. 466.

(8) Post cibum tamen captum negat antiquos lavisse manus Scholiastes noster *ad Odyss.* I. 138. Sed contradicit alter Scholiastes ad IV. 52. et XVII. 4.

(9) *De orationibus* ed. rom. fragm. I.

(10) Tab. XXX.

(11) *Iliad.* VIII. 545.

(12) *Etym.* XX. 1.

(13) *In Pisonem* XXVII.

(14) *Append. ad Ciaccon. de triclin.* p. 125-126.

duceus (1), quae sunt propria Mercurii, cuius hi quodammodo munere defunguntur: Mercurius autem galerum habere dicitur a mythographo vaticano propter involutam verborum obscuritatem (2). Athletae cursores corpora nudant (3) quod factum docent scholiastae superius laudati (4). Prostat etiam in stadio vas palmare, quod item complures nummi ostentant (5). Achilles sacrificans more item vetere caput velat (6). Cur autem Agamemnon tab. XIII. capite aperto rem sacram faciat, Macrobius fortasse docet, qui Saturn. I. 8. ait Romae Saturno rem divinam peragi *capite aperto*, *graeco ritu*. Idem ait fieri graeco ritu in Herculis sacris praedictus Macrobius op. cit. III. 6. Chryses et Calchas fronde cincti sacris operantur (7) veluti apud Virgilium Aeneas (8).

Salutantes ant alloquentes digitum indicem erigunt in cunctis paene ambrosianis picturis, qui gestus in veteribus monumentis obvius est: ideoque is digitus *salutaris* a Martiano appellatur (9), quo loco observat priscus interpres: *digito antiquos homines se invicem salutavisse* (10). Quid? sinistrae manus palliis, sagis, aut peplis obvolutae, nonne et in his picturis et in aliis monumentis passim occurrunt? Artifices pileis phrygiis tunicisque vestiuntur (11), qui est horum cultus solitus in artis monumentis. Famulorum statura exigua est (12), iidemque sunt cincti, ut in vaticanis Terentii picturis. Denique Troiani (exceptis plerumque heroibus) phrygios pileos notissimos gestant, ac versicolores et manicatas tunicas pro armis, braccasque induunt cum calceis: qui fere cultus Troianis apud Virgilium probro datur (13):

Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.

Contra Graeci Homero dicti χαλκοχίτωνες loricis galeisque teguntur nec non ocreis elegantibus, ob quas ab Homero passim εὐκνήμιδες audiunt. Una est pictura (14) in qua Graeci tunicati cernuntur, propterea quod omisso, ut sperabant, bello naves in mare trahunt lares quisque suos repetituri.

Utrum ad Troiam equitatus pugnaverit, an curribus tantum rem heroës gesserint, famosa criticorum quaestio est; noster autem artifex in priore sententia se fuisse demonstrat; quamquam etiam ambrosianus Odysseae interpres (15)

(1) Tab. V. VI. XXXI. XXXIII.

(2) Aletes praeco, seu militaris orator, apud Torquatum Taxium poëtam popularem meum:

Parlar facondo lusinghiero e scorto.
Gran fabro di calunnie adorne in modi
Nuovi, che sono accuse e pajon lodi.

(3) Tab. LVI.

(4) Pag. 11.

(5) Vide certe Spanhemium *de praestantia et usu numismatum* dissert. VI. 6.

(6) Tab. XLVII.

(7) Tab. VIII. et XII.

(8) *Aen.* VII. 135.

(9) Lib. I. 17. Ergo non bene Goëzius postremos Martiani editor vocabulum illud *salutaris* ad silentium refert in notis.

(10) Mirari licet hunc salutantium vel alloquentium gestum ignotum fuisse prodocto Caylusio tom. IV. p. 368, qui veterem figuram ethnici, ut videtur, hominis describens, imprudenter ait: *il faut convenir qu' un si grand nombre de preuves du paganisme sont contredites par l'habillement, la chevelure* (ego vero nihil contradicere arbitror) *et la disposition de la main du personage représenté sur le médaillon: cette main paroit disposée comme celle d'un homme qui donne ce qu'on appelle la bénédiction.*

(11) Tab. XXVII.

(12) Tab. XIII. XXVI. XXVII. XXX. XLVIII. LVII.

(13) *Aen.* IX. 614.

(14) Tab. XI.

(15) Ad lib. V. 371.

contrariam sequitur. Neque tamen in equorum instrumentis quicquam nisi priscum videbis. Bigae cuiusvis equi saepe inter se colore differunt, quod ambitiose olim curatum tradere videtur Philostratus (1). Equorum phaleras et habenas vidi saepe coccineas, cuiusmodi collaudat praedictus Philostratus (2); isque adhuc Romae in purpuratorum Patrum curulibus equis mos conspicitur. Troianae urbis imago quater est in homerico codice (3), praeter Chrysam urbem octava in tabella pictam. Iam Troiae speciem qui conferet cum illis simplicibus ac minutis Pompeiorum aedificiis, nae is praeclaram congruentiam deprehendet! Itaque picturae nostrae satis refellunt falsam Troiae imaginem, quam caelante Lorraenio Caylusius nobis imperite obtrusit (4), dum tabulam Polygnoti a Pausania descriptam restituere studeret: ibi enim urbs, romanae ritu magnificentiae, statuis ornatur, columnis, obelisco etiam multisque aliis exquisitioribus decoramentis, quae ab antiquissima troiani excidii aetate nimis abhorrere creduntur: quamquam columnae in iliaca tabella Fabretti non desunt; statuae autem in virgiliana pictura XXXV; quae tamen omnia romani temporis artificem denotant.

Quid templa, seu potius sacella, ad quae gradibus semper conscenditur (5) nonne cum vaticanis in Virgilio pictis conspirant? Nihil dico de ararum forma notissima. Vittae bovis, qui in tertia decima pictura mactatur, eius generis sunt quae antiquum bucranium coronant (6). Et quidem nostrae rubent, quia Iovi sacrificatur; verum apud Valerium Flaccum (7) caeruleae adhibentur, quia bos Neptuno marino Deo immolatur. Tentoriorum in graecis castris genus id fere est quod describit Eustathius (8) nosterque scholiastes (9), lintea videlicet hastis imposita, clypeis aut latis clavis praefixis. Iam et urnae, et cyathi, et ollae, et testae, et currus, et mensae, et paterae, et lances, nonne veteres formas in his tabellis conservant? Sceptra praelonga (10) cum vertice ornatulo (cuiusmodi gestat Homerus in apotheosi passimque in monumentis occurrunt) summam sapiunt antiquititatem. Homerum marmorea tabula (11) insidentem rotundae sellae demonstrat, cuiusmodi sunt cathedrae in vigesima quarta codicis nostri tabella. Sed et cetera codicis eiusdem sedilia vel homericae apotheoseos vel etruscorum vasorum exemplaria imitantur. Suppedanea denique a Deorum principumque virorum sessionibus numquam absunt, qui ritus a priscis artificibus religiosissime custoditus est. Naves et miniatae in codice sunt, quia Homero dicuntur μιλτοπάρῃοι (12), et scutis coronatae ut in vaticano Virgilio, et structurae simplicitate cum iliacae tabellae navibus certant. Quin adeo et in prae-

(1) *Icon.* I. 28. p. 804.

(2) Loco citato.

(3) Tab. XXIV. XXV. XXVI. LVIII.

(4) *Histoire de l'Académie royale* tom. XXVII. p. 34.

(5) Tab. I. VIII. XXV.

(6) Apud Muratorium *nov. thesaur. inscript.* tom. I. p. 333. Eiusdem formae sunt apud Hancarvillum *Antiq. étrusq.* tom. II. tab. 38. III. 64; nec non in *Mus. P. Cl.* tom. IV. tab. B. et *Mus. Capitol.* tom. IV. tab. 13. 14. 15. 34.

(7) *Argon.* I. 189.

(8) *Ad Iliad.* I. 185.

(9) *Ad Odyss.* III. 188.

(10) Lege Iustinum XLIII. 3.

(11) Apud Fabrettum *tabell. iliac.* tab. II.

(12) *Iliad.* II. 637. Observat tamen Apollonius (in lexico voc. μιλτοπάρῃοι) naves tantum Ulyxis sic ab Homero appellari.

dicta tabella et in nostra etiam pictura undecima subductas naves tueri licet et quaquaversus in sicco considerare. Gubernacula autem navium mari innatantium eadem sunt quae in vaticani Virgilii navigiis spectantur.

Vestes quae sint in ambrosianis Homeri picturis, saepe ante docuimus quum singulos Deos vel homines describeremus. Feminae nobiles plerumque alte cinguntur sub sinu (1), quò spectat homericum illud βαθύζωνοι γυναῖκες, quicquid contra nonnulli interpretes dixerint (2): interdum tamen succinctoriis carent, ut certe Andromacha in XXVI. pictura, quae princeps femina discincta pariter est in anaglyptico opere apud Winckelmannum (3). Nutrix seu famula in praedicta tabella inferius cingitur, ut in terentianis picturis. Quin et peplo feminae utuntur, formae tamen ab eo diversae quam narrat Odysseae scholiastes (4). Calcei nonnumquam crocei sunt, quales gestantur in herculanensibus tabulis. Purpurei interdum videntur capilli, cuius generis comas haud raro in statuis antiquarii viderunt: quin et gemmas aliquando in muliebrium capitum coronis me videre putabam. Palliorum aut chlamydum pars interior et orae quandoque villosae videntur. Sed illud in feminarum, virorum, ipsorumque numinum vestibus observandum est, quod, praeter oras fimbriis versicoloribus exornatas, quadrata hac illac segmenta et saepius oblonga assuuntur, ita ut veniat in mentem Horatii dicentis (5), *purpureus late qui splendeat unus et alter – assuitur pannus*. Nam gemina reapse segmenta sunt sive in humeris aut femoribus quadrata, sive utrimque per corpus producta. Atque ego auspicor, haec longiora segmenta ipsis vestium suturis imposita fuisse, veluti illa quae Lycophron (6) in Agamemnonis tunica dicit κροσσωτοὺς ῥαφάς. In Theani certe sacerdotis feminae pectore (7) visitur unicum praelongum segmentum colore violaceo, cuius prope simile in Ariadnes pictura observatum fuit (8). Has ego segmentatas fimbriatasque vestes passim videbam in etruscis vasis (9) nec non in Geneseos vindobonensis, et in Aeneidos vaticanae imaginibus, itemque in christianis picturis a Bottario illustratis. Dianae χιτὼν λιγνωτὸς, quam memorat Callimachus (10), item *sagula* Gallorum *virgata* quae Virgilius (11), haud scio an parem ambrosianis ornatibus formam habuerint.

Arma sunt bellantium in homericis tabellis galea, lorica, hasta, gladius, arcus, sagittae, et scutum. Horum praecipue perstringit oculos varia admodum florensque pictura. Arma olim pingi solita, satis docet Homerus, a quo ποικίλα non semel vocantur. Sunt autem haec arma modo caeruleis, modo luteis, modo viridibus coloribus tecta, scutis plerumque minio rubentibus. Iam etsi nec prosae orationis scriptoribus, quos inter Philostrato (12), colores armorum ignoti

(1) Sic Medea apud Valerium Flaccum *Argon.* VII. 355. *Cingitur inde sinus.*

(2) Confer inter alios interpretes etiam nostrum scholiastem *ad Odyss.* III. 154.

(3) *Monum. ined.* tom. I. tab. 135.

(4) Ad lib. XVIII. 291.

(5) *Poetic.* v. 15.

(6) Vers. 1102.

(7) Tab. XXV.

(8) Apud Winckelmannum *Monum. ined.* tom. II. n. 99.

(9) Apud Hancarvillum, Millingenium, aliosque.

(10) *In. Dian.* v. 12.

(11) *Aen.* VIII. 660.

(12) *Icon.* exord.

snnt; quia tamen est *ut pictura poësis* (1), e poëtis praecipne rem pictoriam cognoscere praestat: quae enim pictores penicillo audent, ea fere poëtae calamo scribunt. Sic igitur latinus Homerus de Pallante (2): *ipse agmine Pallas – in medio, chlamyde et pictis conspectus in armis*. Rursus de Asture (3): *Astur equo fidens et versicoloribus armis*. Tum de Arcadibus (4): *et pictis Arcades armis*. Tum de Amazonibus (5): *et pictis bellantur Amazones armis*. Denique galearum cristae in ambrosianis picturis rubricatae sunt: atque hunc cristarum colorem et veteres picturae Romae habuerunt (6) et rei natura deposcit. Ad extremum moneo, unamquamque picti Homeri tabellam duplici linea crassiore fuisse conclusam, quarum interior caerulea, extima autem rubra est. His coloratis oris aliae quoque antiquae picturae cinguntur; et quidem nobilissimae quaedam a Bartolo ex antiquis parietibus sumptae.

Conclusio.

Ex his quae hactenus de harum tabularum continentia et genere disputàvimus, earumdem antiquitas atque inde nobilitas certissimo argumento concluditur. Barbaro enim inficeto aevo sic omnino pingi non potuit; ad renatas autem quarto decimo saeculo artes is mecastor codex non pertinet, quod ipsa senectae facies, et continua grandisque scriptura, et antiquatum pingendi genus adeo demonstrant, ut id impensius confirmare stultissimum foret; ergo ante quintum potius quam sextum christiani aevi saeculum codex noster homericus elaboratus est, cum nondum artes barbaria perdiderat. Utique exploratum est, irruentem e septentrione Asiaque colluviem non cum hominibus solum sed cum omni liberali doctrina bellum gessisse. Sic plerisque artium monumentis ferro deletis, sublato studio antiquitatis, novis formis inductis, partim dominorum voluntate et exemplo, partim immensa potentia temporum, perturbari morem immutarique ordinem non solum agendi verum etiam cogitandi necesse fuit. Tum nemo veterum consuetudinum curiositate flagrabat, nemo graecas artes suo cum animo reputabat, nemo fere aliud quam novas suorum temporum species callebat exprimere. Quonam igitur pacto saeculi puta noni artifex tot Deorum, sacerdotum, aedificiorum, vestium, conviviorum, ludorum pervetustas imagines meminisse iam poterat? Quis iam Achillem, Ulyxem, Nestorem, Paridem satis apte in membranis redderet? qui heroës etsi non traditi vultûs sunt, attamen constanti sollemnique vetustiorum artificum concordia conformari solebant. Atqui praedictorum heroum imagines in ambrosiano codice prope iconicae, ut cum Plinio loquar, videntur. Iam si artem ipsam spectes, homericae tabellae ab illo rigore variant, qui in paulo recentiorum codicum graphidibus tantopere displicet. Ergo in ambrosiànis Homeri picturis et quaedam artis dignitas, et certe summa antiquitas immortaliter loquitur.

(1) Horatius *Poëtic.* 361.
(2) *Aen.* VIII. 587.
(3) *Aen.* X. 181.
(4) *Aen.* XII. 281.
(5) *Aen.* XI. 660.
(6) Lege Winckelmannum *Monum. ined.* tom. II. p. 157.

PICTURARUM CODICIS HOMERICI

DESCRIPTIO HISTORICA. (*)

I.

In media pictura Chryses sacerdos Apollinem orans, Iliad. lib. I. v. 37; cuius templum in dextra picturae parte visitur, v. 39. Tum ipse Deus castra Graecorum sagittis appetens, v. 43. Infra exercitus moriens e peste, v. 51; et quidem ipsa cadavera rogis iniecta, v. 52. Sinistrâ Agamemnon cum graecis ducibus et Calchante augure. Stans loquitur Achilles de peste sedanda sollicitus, v. 58. Dextrâ mare cum navibus. Huic picturae et aliis deinceps nonnullis contrectatio vetustas cariesque multum detrimenti attulerunt.

II.

Graecorum ducum concio, in qua tantopere excandescit Achilles adversus Agamemnonem, ut ensem occisurus exserat, nisi a Minerva, quae in evanida pictura vix cernitur, cohibeatur, lib. I. 190. Extremi in consessu sunt, hinc quidem Ulyxes cum pileo nautico, illinc autem Nestor barba promissa insignis.

III.

Concio graecorum ducum, in qua quum Achilles Minervae obtemperans ab Agamemnone manus abstinuisset, Dea in caelum recedit, lib. I. v. 221. Achilles vero, postquam conviciis Agamemnonem proscidit, sceptrum humi proiicit, v. 245. Tum Nestor dissidentes componere oratione studet, v. 254; sed enim Achilles irae tenax ad naves cum Patroclo et sociis secedit, v. 306.

IV.

Agamemnon cum graecis ducibus pro peste sistenda hostias immolans. Retro exercitus lustratus. In media pictura arae duae, lib. I. v. 313.

V.

Achilles in tentorio suo sedens, post quem Patroclus nonnullique Myrmidones. Coram pileati et cum caduceis Talthybius atque Eurybates nuntii Agamemnonis ad exigendam Briseidem missi, lib. I. 320.

VI.

In tentorio Achilles cum Patroclo et Myrmidonibus. Talthybius et Eurybates Briseidem abducunt, lib. I. 345.

VII.

Luctus Achillis propter ereptam Briseidem, lib. I. v. 357. Coram Thetis mater mari emersa consolatur maerentem, v. 362.

(*) In libri homerici fronte, prisca aliquot, ornatus causa, monumenta a nobis sunt proposita; nempe 1. Apotheosis Homeri ex anaglypho notissimo vaticano. 2. Paridis statua item celebris in museo vaticano. 3. Helena cum Cupidine ex antiqua pictura cuius ectypon a manu Sanctis Bartoli est codice vaticano. 4. Caput Achillis ex vetere statua borghesiana. 5. Mors Priami ex tabula iliaca fabrettiana. 6. Hector ex numismate musei regii mediolanensis.

VIII.

Quum Agamemnon captivam Chryseïdem patri sacerdoti reddendam censuisset, lib. I. v. 310, haec ab Ulyxe ad Chrysam urbem natalem navi vehitur, v. 430. Iu littore ante fanum Apollinis parens filiam laetus recipit. Victimas quoque videre est, quas Agamemnon Numinis causa placandi miserat, v. 309. 438. In conspectu est urbs Apollinis Chrysa.

IX.

In dextra picturae parte Iupiter, a quo Thetis supplex honorem Achilli filio enixe flagitat, lib. I. v. 500. Laevâ consessus Deorum, in quo sedent Iupiter, Iuno, Minerva, Venus, Mars, Apollo: Mercurius autem Deorum minister stat. Iuno apud Iovem conqueritur de eius nupero cum Thetide colloquio, v. 540.

X.

Deorum convivium, in quo accumbunt Iupiter, Iuno, Minerva, Venus, Mars. Vulcanus autem convivium exhilaraturus poculum Iunoni propinat, lib. I. v. 584. Et quidem in sinistra picturae parte crater ingens visitur ex quo nectar Vulcanus hauriebat, v. 598. Adest Apollo citharam pulsans, concinentibus Musis, v. 603.

XI.

Graeci naves ad mare trahentes in patriam remeaturi, lib. II. v. 150. Ulyxes, Minerva suadente, eos deterret ab incoepto, v. 168.

XII.

Exercitus ducesque graeci Aulide sacra facientes prope fontem, lib. II. v. 303. Calchas portentum edisserit draconis passerculos cum matre vorantis, v. 322. Haec sunt ex oratione Ulyxis, v. 284. sqq.

XIII.

Ulyxis Nestorisque eloquentiâ tum et Agamemnonis iussu graecus exercitus ad Troiam retentus, rei sacrae dat operam, lib. II. v. 400. Rex ipse Agamemnon ad aram sacrificat, praesentibus Menelao, Idomeneo, Aiace utroque, Nestore, Diomede atque Ulyxe, v. 402. Popa seminudus elata bipenni bovem immolat. Iupiter in nubibus preces Agamemnonis audit severo vultu, quippe qui graves labores Graecis parabat, ante quam eos voti compotes faceret, v. 419.

XIV.

Troianorum acies, quam recenset Homerus lib. II. v. 815. praeeuntibus Hectore, Aenea, Pandaro, Adrasto, Sarpedone, aliisque ducibus. Et quidem hanc esse Troianorum aciem satis docent phrygii pilei. Periit autem pictura qua Graecorum catalogus exprimebatur.

XV.

Menelaus vulneratur a Pandaro troiano, lib. IV. v. 105. sqq. Prope est Agamemnon re haud provisa obstupescens. In sinistra picturae parte iterum Menelaus, cui medicinam facit Machaon v. 210.

XVI.

Atrox pugna quae libro V. describitur. Cernitur Diomedes flammâ in galea scutoque conspicuus, quem Minerva in mediam pugnam impellit, v. 4-8.

Phegeus in pectore vulneratur, v. 19. In acie graeca visitur etiam Ulyxes, ut alias saepe in his picturis.

XVII.

Proelium continuatur. Minerva Martem, qui Troianis favebat, acie eductum sedere iubet ad Scamandrum, lib. V. v. 35. In media pugna Diomedes flammivomis armis noscendus, quem Pandarus sagitta appetit, v. 95.

XVIII.

Apollo Troianorum auxiliator Diomedem increpat, qui aliquantum ab acie prima recedit, lib. V. v. 440. Aeneas cernitur post Apollinem, a quo protegitur v. 437.

XIX.

Venus Iovi manum ostendit quam ei vulneraverat Diomedes. (Quamquam revera manum Venus non Iovi sed Dionae matri ostendit, lib. V. v. 370, a Iove autem tantummodo monita est ut ab opere bellico abstineret, v. 428.) Iuno et Minerva Venerem irrident, v. 418.

XX.

Fervet adhuc pugna, quae toto libro V. narratur. Iam huius picturae continentia paulo incertior est; dextrâ tamen videtur Hector, Menesthem et Anchialum sagittis configere, lib. V. v. 608; sinistrâ videtur Aiax Telamonius ex Amphii cadavere hastam impresso calce educere, v. 620. Quin et Ulyxes pileatus de more et corpore inermi media in acie versatur.

XXI.

In media pictura Tlepolemus graecus a lycio Sarpedone hasta ad iugulum adacta interimitur, lib. V. v. 657. Tum in sinistra picturae parte videtur ipse Sarpedon saucius et iam a graeco milite conficiendus, suorum ope protegi, v. 663; dextra denique parte idem Sarpedon saucius sub fago, v. 693. Ulyxes seminudus contra Lycios pugnat, v. 676. In caelo Iupiter, Iuno et Minerva, quos Deos huic pugnae interesse ac prope praeesse facit Homerus.

XXII.

In nubibus adhuc Iupiter, Iuno et Minerva. Quum autem Iupiter annuisset ut Minerva pro Graecis Marti adversaretur, lib. V. v. 765; haec caelo lapsa, in Diomedis biga insistit, atque heroa contra Martem exstimulat, v. 837. Reapse Diomedes iaculum in Martem vibrat, qui inter Troianos procliatur, v. 855. Eminent item in pugna Hector, Ulyxes, aliique graeci et troiani heroës.

XXIII.

Mars post inflictum sibi a Diomede vulnus, in Olympum conscendens, de accepta a viro mortali iniuria apud Iovem expostulat, lib. V. v. 872. Idem autem abs Iove ob suum amentem furorem et perpetuum belli studium increpatur, v. 888. Adsident Iovi Iuno et Minerva, quas revera narrat Homerus, postquam Martem proelio expulissent, in caelum ad Iovem rediisse, v. 907. Adsidet etiam Apollo vultu ad maestitiam composito: siquidem Apollinem Troianis semper faventem par est Martis misereri, qui pro iis bellans vulnus acceperat.

XXIV.

Urbs Troia, Scaea porta, et Priami regia. Hector urbem ingressus ut ad-

versam Troianis Minervam placandam curaret, obviam habet Hecubam matrem. Altera quoque femina iunior adest, quam aliquis fortasse Laodicen esse, sororem Hectoris, existimabit, ad quam Hecuba conveniendam pergebat, lib. VI. v. 252. Sed enim huius feminae idem fere cultus est atque Andromachae in XXVI. pictura; ergo ut ibi pictor Hecubam, praeter Homeri sententiam, addidit, ita hoc loco Andromacham sponte sua pinxisse videtur.

XXV.

In dextra picturae parte mulieres troianae peplum Minervae offerentes, lib. VI. v. 286. Eminet inter matrenas Theano sacerdos infulâ sceptroque decora, v. 398. ante tripodem ex quo oracula reddi solebant. Coram est templum cum signo Minervae, quae vultum a supplicibus avertit, v. 311. ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη: *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* In sinistra picturae parte Hectar Paridem, pileo phrygio pedoque pastorali noscendum, adloquitur, eumque ut e thalamo ad proelium exeat hortatur, v. 326. Paridi adsidet Helena, v. 323. Troianae urbis aedificia circumstant.

XXVI.

Hectoris cum Andromacha uxore colloquium, lib. VI. v. 390. Iam in hac pictura adornanda Homerum artifex non admodum est secutus. Primo enim Hectorem sedentem fecit, quum tamen illud colloquium peractum a stantibus in via publica videatur. Tum Hecubae personam sponte obtrusit. Denique Astyanactem paulo maiore aetate donavit, quam in Homeri narratione docetur. Quamquam et in vetere anaglyptico opere (apud Winckelmannum *Monum. ined.* T. I. ed. prim. n. 135.) Astyanax fere duodennis parentem Hectorem, cuius effertur cadaver, luget; itemque in Senecae Troade Astyanax non est infans. Post Andromacham visitur nutrix seu famula succincta et serviliter attonsa.

XXVII.

In dextra picturae parte graeci propugnaculi constructio, lib. VII. v. 436. Caementarii fabri phrygium pileolum gestant, vel quia fortasse Troiani sunt apud Graecos captivi, vel quia eiusmodi pileo utebantur vulgo prisci opifices. Sinistrâ Graeci caenantes, v. 466. in singulis stibadiis terni sub humilibus umbraculis. In medio tamen stibadio quaterni accumbunt, nimirum Agamemnon, Menelaus, Ulyxes quartusque Aiax Telamonius, qui nuper singulari cum Hectore certamine paene victor ab Agamemnone convivio exceptus fuit, v. 321. Iuxta est mare navesque a Lemno advenientes vinumque in testis vehentes, v. 467.

XXVIII.

Peracta nocte in conviviis, Graeci mane armantur ad pugnam, lib. VIII. v. 53, qua inita Troiani superiores evadebant. Tum Agamemnon suis increpitis, v. 228, Iovem etiam enixe oravit, ne graecus exercitus occidione occideretur, v. 336; quibus precibus annuens Iupitera quilam misit, quae hinnulum ex unguibus in terram deiecit, v. 247. Iam prodigii explicatio haec. Aquila, avis victrix, Hectorem ac Troianos Graecorum victores significat: hinnulus, timidum animal, Graecos inferiores et victos: quod autem aquila praedam captam abiicit, id scilicet portendit Troianorum victoriam brevi irritam fore: porro hinnulus ad Iovis aram abiicitur, ut intelligere liceat a Iove preces Agamemnonis

esse acceptas atque hunc compotem voti futurum. Ante hanc picturam alia extitit in codice, quae consessum Deorum exhibuit in exurdio octavi libri descriptum. Ea tamen periit, excepta lacinia infima, in qua nihil figuratum superest.

XXIX.

Prodigio Graeci firmati sese adversus Troianos converterunt alacrius, lib. VIII. v. 251. Cernuntur igitur in prima acie Graecorum furtissimi quique, itemque in prima acie Troianorum Hector et reliqui heroës. Qui in dextra picturae parte colloquuntur, ii Agamemnon Teucerque videntur: quippe Tencer ab Aiace Telamonio protectus Truianos complures sagittis occiderat; quod conspicatus Agamemnon, ad eum venit eidemque rem bene gestam gratulatus est, v. 278. In picturae vertice Iuno, Minerva, et Iris alata, quae cur huic pugnae interessent, causa eiusmodi fuit. Hector Tencrum saxu appetiit, eo snccessu ut hic saucius a sagittando destiterit, v. 322. Hinc Graecorum fuga usque ad naves facta est. Iuno vero et Minerva e caelo sese commoverunt, ut Troianis victoribus metum iniicerent, v. 350: quod Iupiter improbans, Irim submisit quae Deas ab incoepto minaciter deterreret, v. 397. Cernitur Iuno peplo in caput adducto; Minerva tamen peplo caret, quia id in Iuvis domo proiecerat, v. 385.

XXX.

Nocte superveniente Troianos Hector extra urbem in armis continet eosque adloquitur, lib. VIII. v. 489. Mox cibus capitur ab exercitu in stibadiis seu toris herbosis. In medio, ideoque honestiore, toro discumbit cum aliis ducibus Hector cristata galea conspicuus. Tenebras multi ignes dispellunt, v. 554.

XXXI.

Hesterna clade consternatus Agamemnon ducum coetum per praecones noctu convocat, fugamque in patriam flens suadet, lib. IX. v. 1. sqq.

XXXII.

Agamemnonis de bello omittendo sententiae contradixerunt primus Diomedes, deinde Nestor, lib. IX. v. 31. Iam duos husce heroas, praesentes, quidem concilio prior tabula exhibet, haec autem loquentes facit.

XXXIII.

Nucturnus graecorum ducum consessus deliberantium de mittendis in castra troiana speculatoribus, lib. X. v. 194. Sedent igitur Idomeneus, Agamemnon, Menelaus, Aiaces duo et Phylei filius Meges. Stant Nestor, Diomedes et Ulyxes. Nestor quidem concionatur, v. 203; Diomedes vero et Ulyxes speculandi munus excipiunt. Adstant etiam praecones armatique custodes.

XXXIV.

Diomedes atque Ulyxes ad speculandum profecti, Dolonem troianum capiunt, qui lupi pelle indutus ad castra graeca exploranda veniebat, lib. X. v. 314. sqq. Idem mox Dolon in sinistra picturae parte crudeli supplicio afficitur, v. 455. In picturae vertice nux alata.

XXXV.

Ulyxes ac Diomedes castra Thracum dormientium ingressi caedi indulgent, lib. X. v. 470; et quidem Diomedes Rhesum regem in medio cubantem

interimit, v. 494. In sinistra picturae parte Ulyxes ac Diomedes ad Graecorum castra cum Rhesi equis reversi excipiuntur a Nestore aliisque ducibus, v. 532. Nox adhuc caelum alis amplectitur.

XXXVI.

Sequenti die motis iterum armis vulnerantur Graecorum fortissimi quique. Sane in hac pictura Eurypylum a Paride in femore vulneratum videre est, lib. XI. v. 580: tum etiam Machaonem curru a Nestore avectum, propterea quod ab eodem Paride vulnus acceperat, v. 505. et v. 597.

XXXVII.

Achilles cum sodale Patroclo pugnam Graecorum e navibus observat, lib. XI. v. 599; statimque Patroclum mittit ad Nestorem qui in tentorio cum Machaone potione se reficit, v. 624. Colloquuntur itaque stans Patroclus et Nestor sedens, v. 648. Tum ad Achillem revertens Patroclus Eurypylo sancio occurrit, cui delato in tentorium medetur, v. 841. Et quidem is, qui medicinam Eurypylo facit, habitu Patroclus est, qui autem adstat, habitu Achilles est.

XXXVIII.

Graeci, quum proelio inferiores discessissent, castris se concluserunt, quae fossa muroque ob naves tuendas muniverant. Supervenientibus autem Troianis certamen atrox atque oppugnatio fit, lib. XII. v. 1. sqq.

XXXIX.

Troianis graeca castra ferro saxis atque igne oppugnantibus a Iove prodigium mittitur aquila captum anguem unguibus gestans, quem tamen mox dimittit vulnus ab eodem perpessa, lib. XII. v. 200. Id prodigium Polydamas (in dextra picturae parte) sic Hectori explicat, ut etiamsi Troiani graeco propugnaculo potituri sint, nihilominus iidem funestum rei exitum nacturi videantur, v. 210.

XL.

Quum Polydamantis vaticinium Hector sprevisset, pugnae instant Troiani, quorum in acie prima Sarpedon loricatus eminet cum pileo phrygio scutoque bullis aeneis distincto, lib. XII. v. 292. Sarpedonem muro prohibent Teucer quidem sagitta, Aiax autem hastae coniectu, v. 400.

XLI.

Castrorum graecorum portam saxo Hector perfringit, lib. XII. v. 445; qua re Graeci territi ad naves diffugiunt, v. 470.

XLII.

Saeva pugna libro XIII. luculenter descripta. Graeci proceres Neptuni hortamentis confirmati Troianis fortiter resistunt, proque tentoriis ac navibus protegendis diu proeliantur, Idomeneo praesertim antesignano, v. 240. sqq. Et quidem heic cernitur Idomeneus Othryoneum a se interfectum pede trahens, v. 383.

XLIII.

Quum Iupiter arte Iunonis a Troianorum respectu fuisset amotus, quumque interim Neptunus Graecis faveret, Troiani caeduntur, Hectore vulnerato, lib. XIV. v. 409. Tum a Peneleo Ilionei capite hasta sublato, Troiani terga vertunt, v. 489. sqq.

XLIV.

Picturae pars magna periit. Ceterum videtur heic exhiberi Eurypylus haud procul graecis navibus in tentorio sedens propter vulnus acceptnm, praesente sibi et medente Patroclo, qui et cladem Graecorum cum gemitu observabat, lib. XV. v. 390. Patrocli tamen vestigium nullum superest propter consumptam membranam. Haec autem XLIV. pictura reapse in membrana quadragesimam quintam praecedit, quamquam argumenti posterioris esse videtur.

XLV.

Troiani, opem ferente Apolline, Graecos graviter premunt, qui non sine clamore ad naves fuga secedunt, hortantes inter se, Diisque vota sublatis manibus nuncupantes, lib. XV. v. 365.

XLVI.

Adhuc fuga Graecorum persequentibus Troianis et Apolline. Nestor fugientes retinere oratione nititur, lib. XV. v. 659.

XLVII.

Quum petenti Patroclo Achilles concessisset ut cum Myrmidonibus adversus Troianos pugnaret; ipse Iovi vinum libavit precesque obtulit pro fausto pugnae eventu Patroclique reditu, lib. XVI. v. 220. sqq. Cernitur Achilles velatus in tentorio sacrificans, Iupiter autem rem sacram aspiciens, v. 249.

XLVIII.

Patroclus post ingentem editam Troianorum caedem occiditur ab Hectore, lib. XVI. v. 818. Hoc in proelio versatur etiam Apollo, qui Patroclum quidem primo repulit Troiâ, v. 700, tum galea et thorace spoliavit, v. 793, postquam Hectorem contra eumdem exciverat, v. 715. In sinistra picturae parte Automedon cum Achillis equis, extincto iam Patroclo, pugna se subducit, v. 864. sqq.

XLIX.

In dextra picturae parte Menelaus Patrocli cadaver clypeo protegit, atque Euphorbum troianum hasta minisque snbmovere conatur, lib. XVII. v. 1. sqq. Ipse autem Euphorbus Patroclum primus vulneraverat, lib. XVI. v. 806, et nunc eiusdem spoliis potiri cupiebat, lib. XVII. v. 13.

L.

Euphorbum pro Patrocli spoliis pugnantem occidit Menelaus correptum capite ferroque in guttur adacto, lib. XVII. v. 47.

LI.

In sinistra picturae parte Menelaus arma Euphorbi a se occisi detrahere incipiens, lib. XVII. v. 59. et 70. Dextrâ Apollo Hectorem concitans adversus Menelaum, v. 71.

LII.

Scamander fluvius iratus quod sibi cursus cadaveribus Troianorum impediretur, Achillem caedis auctorem obiurgat, lib. XXI. v. 212. Achilles tamen a pictura mutila excidit.

LIII.

Qunm Achilles a Scamandro increpitus, nihilo secius in Troianos saeviret, exundantibus aquis fluvius heroa paene obruit, qui sane periisset, nisi Vulca-

nus a Iunone matre immissus Scamandri aquas igne exussisset: quo incendio consternatus fluvius Iunonem in hac pictura obsecrat ut Vulcani vim sistat, lib. XXI. v. 367. Reapse autem Iuno Vulcanum tacto humero reprimit, v. 377.

Carmiua, quae in huius picturae postica parte supererant, aere excusa in libro nostro exhibemus, ut codicis palaeographiam lectores cognoscaut.

LIV.

Ingenti clade fatigati Troiani urbe se concluserunt, quos Graeci persequentes ad moenia usque accesserunt, scuta sibi praetendentes propter iacula propugnatorum, lib. XXII. v. 1. sqq. Solus Hector extra moenia ante Scaeam portam substitit, atque Achillem pugnaturus expectavit, v. 5. 35. 92. Interim Priamus et Hecuba protentis e muro brachiis Hectorem, ut se in urbem reciperet, frustra obsecrabant, v. 37. sqq. Dum autem Hector multa secum deliberaret de recessu in urbem, de pace a Graecis petenda, de certamine cum Achille, hic quidem cursu concito supervenit, hastam contra Hectorem vibrans, v. 131.

LV.

Ludi curules ab Achille indicti in Patrocli inferiis, lib. XXIII. v. 262. In sinistrâ picturae parte athletae superveniunt hoc ordine, Diomedes, Antilochus, Menelaus, Meriones, v. 499. sqq. Dextrâ Achilles praemia distribuens, alii famulam, alii equam, alii phialam, alii aliud praemium. Conspicui sunt in graecorum ducum concione, praeter Achillem, Agamemnon, Idomeneus, v. 450; Aiax. v. 473; Ulyxes ac Nestor. Et quidem Nestor videtur aurigandi praecepta Antilocho filio tradere, quamquam reapse id ante cursum fecit, v. 304. Procul visitur meta, stipes nimirum aridus adiecto utrimque lapide, v. 327. De aurigarum variegato vestitu diximus in commentario praevio.

LVI.

Cursus pedestris item ab Achille in inferiis Patrocli celebratus, lib. XXIII. v. 740. Cernitur Aiax in stercore bovino prolapsus v. 774, tum idem bovem praemium suum tenens, v. 780. Ulterius Ulyxes metam attingens; tum idem craterem praemium accipiens, v. 778. Coram graeci duces ludum spectantes; in medio mensa cum praemiis itemque vas palmarium.

LVII.

Profecturus ad Achillem Priamus, ut Hectoris corpus redimeret, pateram ab Hecuba accipit Iovi ad aram libaturus, lib. XXIV. v. 305. In evanida pictura aegre admodum visitur aquila, quam fausti augurii gratia Iupiter misit, v. 315. Adstant aliquot Priami liberi cum duplici rheda, mulinâ quidem quae pretia, equinâ vero quae Priamum ad Achillem vectura est, v. 248. sqq.

LVIII.

Priamus Troiâ ad Achillem proficiscens, itemque Idaeus praeco munera curru agens. Equi Priami mulaeque Idaei bibunt e fluvio, lib. XXIV. v. 350; quo in loco Mercurius a Iove missus, v. 333. occurrit iter agentibus, seque viae ducem praebet, v. 360.

Codicis homerici antiquissimi specimen in quo omnium litterarum graecarum formas cognoscere licet

Ex Iliadis libro XXI. v. 393–409.

ΧΑΛΚΕΟΝΕΓΧΟϹΕΧΩΝΚΑΙΟΝΕΙΔΕΙΟΝΦΑΤΟΜΥΘΟΝ
ΤΙΠΤΑΥΤΩΚΥΝΑΜΥΙΑΘΕΟΥϹΕΡΙΔΙΞΥΝΕΛΑΥΝΕΙϹ
ΘΑΡϹΟϹΑΗΤΟΝΕΧΟΥϹΑΜΕΓΑϹΔΕϹΕΘΥΜΟϹΑΝΗΚΕΝ
ΗΟΥΜΕΜΝΗΟΤΕΤΥΔΕΙΔΗΝΔΙΟΜΗΔΕΑΝΗΚΑϹ
ΟΥΤΑΜΕΝΑΙΑΥΤΗΔΕΠΑΝΟΨΙΟΝΕΓΧΟϹΕΛΟΥϹΑ
ΙΘΥϹΕΜΕΥΩϹΑϹΔΙΑΔΕΧΡΟΑΚΑΛΟΝΕΔΑΨΑϹ
ΤΩϹΑΥΝΥΝΟΙΩΑΠΟΤΙϹΕΜΕΝΟϹϹΑΜΕΟΡΓΑϹ
ΩϹΕΙΠΩΝΟΥΤΗϹΕΚΑΤΑΙΓΙΔΑΘΥϹΑΝΟΕϹϹΑΝ
ϹΜΕΡΔΑΛΕΗΝΗΝΟΥΔΕΔΙΟϹΔΑΜΝΗϹΙΚΕΡΑΥΝΟϹ
ΤΗΜΙΝΑΡΗϹΟΥΤΗϹΕΜΙΑΙΦΟΝΟϹΕΓΧΕΙΜΑΚΡΩΙ
ΗΔΑΝΑΧΑϹϹΑΜΕΝΗΛΙΘΟΝΕΙΛΕΤΟΠΑΛΑΜΑϹΛΟΗΗΗ
ΚΕΙΜΕΝΟΝΕΝΠΕΔΙΩΙΜΕΛΑΝΑΤΡΗΧΥΝΤΕΜΕΓΑΝΤΕ
ΤΟΝΡΑΝΔΡΕϹΠΡΟΤΕΡΟΙΘΕϹΑΝΕΜΜΕΝΑΙΟΥΡΟΝΑΡΟΥΡΗϹ
ΤΩΙΒΑΛΕΘΟΥΡΟΝΑΡΗΑΚΑΤΑΥΧΕΝΑΛΥϹΕΔΕΓΥΙΑ
ΕΠΤΑΔΕΠΕϹΧΕΠΕΛΕΘΡΑΠΕϹΩΝΕΚΟΝΙϹΕΔΕΧΑΙΤΑϹ
ΤΕΥΧΕΑΔΑΜΦΑΡΑΒΗϹΕΓΕΛΑϹϹΕΔΕΠΑΛΛΑϹΑΘΗΝΗ
ΚΑΙΟΙΕΠΕΥΧΟΜΕΝΗΕΠΕΑΠΤΕΡΟΕΝΤΑΠΡΟϹΗΥΔΑ

Ex Iliadis libro XXIII. v. 510.

ΚΑΔΔΕΧΑΡΑΜΑϹΤΙΓΑΠΟΤΙΖΥΓΟΝΟΥΔΕΜΑΤΗϹΕΝ

1.




2.






3.







4.




5.



6.



7.




8.




9.




10.




11.




12.



13.



14.



15.



16.



17.



18.




19.



20.




21.




22.



23.




24.




25.



26.



27.



28.



29.



30.



31.



32.



33.



34.




35.




36.



37.



38.



33.



34.



35.




36.



37.




38.




39.




10.




41.




42.




43.



44.




45.




46.




47.



48.




49.



50.



51.




52.



53.




54.



55.



56.





57.



58.

